

experti sint. Quid si enim crastina ferat dies, quod non tulit hodierna? Et licet senium attingant: quid si hoc ad majorem eorum condemnationem fiat? Annon legerunt il. Ps. LXXX. *Dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis?* Ibunt ergo illi vias proprias non divinas: sed ad præcipitium et inferitum suum.

V. Ob aliorum etiam bonum, et primo, sociorum seu complicem ejusdem peccati; qui ut a proposito absterreantur, sæpe unus illorum e medio abripitur: sicut cum ex avibus colludentibus, et quasi extra aleam constitutæ essent, concinentibus, accipiter unam rapit, reliquæ conficescunt, seque repente subter frondes abdundunt et subducunt. Dicunt illi interdum, quod ædificatores turris Babel: *Venite faciamus nobis civitatem et turrim, cujus culmen pertingat ad cælum, et celebremus nomen nostrum, etc.* Gen. XI. Sed huic: *Venite*, respondit aliud divinum: *Venite igitur, descendamus et confundamus ibi linguam eorum; quia cœperunt hoc facere, nec desistent a cogitationibus suis, donec eas opere compleant.* Sic enim Deus aliquando per unius aut plurium immaturam mortem aliorum cogitationes confundit ut a prava conspiratione desistant. Cujusmodi exempla plurima sunt et passim contingunt. Notum illud, quod anno 1596. Ingolstadii contigit. « Cum adolescens nobilis B. V. sodalis, in quorundam sodalium genio deditorum familiaritatem se immersit: hi ad cæteram lascivientis ætatis licentiam etiam illud addiderunt, ut ardentibus tædis aut sarmentis accensis tamquam Orestem furie modo hunc, modo illum ex suo numero ex improvviso adoriantur, flammis circumstiterent, corpus amburerent, ni prope cœnam expediret. Cumque multos furiosa illa alea in orbem percurrisset, die, qui purificatæ Virginis festum insequitur, hunc miserum nihil minus cogitantem ebriosa illa turba tædatorum de repente opprimit, homini flammam admovet, cœnam exigit. Paratur: expediuntur pocula, potatur in multam noctem. Postquam poculis indultum est satis onusti vino ad suos quisque lares revertuntur. Hic in suum se recipit cubiculum, et ut quieti se daret, vestes detrahit ad linteum indusium, inde vino somnoque victus ut erat seminudus in mensam, quæ posita erat in cubiculo, dormitabundus se inclinat, innixus cubito. Interim misero alio somno oppresso ardens candela casu admota in linteum inflammat, idque pervadit totum non sentienti. Concepta flamma expergiscitur tandem semiustulatus: exclamat amens, horrendis vocibus familiam conciet. Cumque se flammis

exuere non posset, humi provolvit, si forte pressu corporis flammam opprimeret: nihil proficitur. Flamma jam valida magis sæviebat, accurrunt familiares, miserum adolescentem, quas frustra male vitarat ante cœnam, post cœnam flammis vident absumi, percussi pavore periculo tamen audaciam faciente, licet feram, aliquam tamen opem ferunt, pertinacesque flammam, qua possunt ratione, restringunt, consumpta sindone, cute corporis jam penitus ambusta. Et est quidem ille præsentis periculo ereptus, sed incendii vis jam ante visceribus insederat, ut nullis remediis coerceri potuerit, quominus assatæ cutis tabes intus serpens acerbissimo ipsius cum cruciatu etiam vitalia depasceret. Itaque octavo die eadem pene hora, qua in eandem calamitatem incidere, consumptus est. Qui tamen agnito reatu suo et justa punitione, magnis editis pietatis signis, spe bona obiit. » Ita ex Sebast. Bercario soc. Jesu refert p. Jo. Nyess. in alphab. diaboli. Eo facto cessarunt ustulatores illi.

Deinde, ad aliorum etiam quorumcumque juvenum cautelam et exemplum, ut in quacumque ætate mortis recordentur, ad eamque se quotidie præparare studeant. Nemo fere juvenum percillitur, cum senem morientem vident: at si adolescens aliquis potens vel dives virgo obierit, omnes turbantur ac stupent sibi que timere incipiunt. In primaria Germaniæ civitate duo sunt sibi proxima sepulera: senis unum, juvenis alterum. Utrumque commune illud Adami et posterorum ejus epitaphium habet: *Et mortuus est.* Verum senis tumulus assertive: *Et mortuus est:* juvenis vero interrogative: *Et mortuus est?* Voluit hoc discrimine indicare prudens scriptor, mirum non esse si senex ille, vitæ satur mortuus est; at vero juvenis iste, opibus, forma, viribus præstans nondum annos viginti natus, mortis tam securus, qui velut Parcas decepturus vixit, itane mortuus est? Hoc mirandum, hoc dolendum. Et hoc tametsi quotidianum est, a plurimis tamen non creditur. Refert Jer. Drex. in prodromo. Parum de morte cogitant juvenes, quia non putant se tam cito e mundo ejiciendos, qui non ita pridem eum ingressi sunt, et solum aspiciunt ad annos quos homo attingere possit. Inde mortis curam abjiciunt et fræna adolescentiæ laxant. Propterea frequenter eos vita spoliatur Deus, ne securitatem sibi polliceantur, ac de juventute blandiantur. Quæ res cum usu quotidiano doceatur, mirum est quod adhuc juvenibus demonstrari debeat, ut eam sibi persuadeant. Quando sacerdotes Bel cum uxoribus et liberis suis clam ingressi templum, relinquebant in pavimento

vestigia sua, dicebat Daniel regi: *Ecce pavimentum, adverte cujus vestigia sunt hæc.* Et dixit rex: *Video vestigia virorum et mulierum et infantium,* Dan. XIV. Quando igitur o juvenis, credere non vis tam cito mori juvenes ac senes, vade mecum ad templum et cœmeterium, et vide pavimentum: cujus vestigia sunt hæc? Quorum hæc et illa mausolæa? Nonne tot vides sepulera infantum, puerorum, juvenum ac senum, vel etiam multo plura? Cogita ergo, o adolescens, tibi loqui mortem, quod Ezechiæ nuntiavit rex Assyreriorum: *Quæ est ista fiducia, qua niteris? An confidis in baculo arundineo atque confracto?* IV. Reg. XVIII. Cogita uncinum pomorum quem ostendit prophætæ Deus, et vide ne in terram et sepulcrum detraharis, cum minime existimas.

CONCIO V.

ARS BENE MORIENDI.

I. Memorare novissima tua. — II. Conde testamentum si opus. — III. Muni te sacramentis. — IV. Provide tibi arma etiam offensiva. — V. Adorna lectum tuum virtutum floribus.

THEMA.

Resedit, qui erat mortuus et cœpit loqui.

Luc. VII.

Accidit quandoque, ut tabernam aliquis intret et ibidem bene epuletur ac bibat: demum bene curata cute clanculum se subducat non salutato hospite, nec confectis aut solutis rationibus. Tum si hospes abeuntem offendat, in domum suam retrahit, nec dimittit inde, donec is compositis rationibus solvat id quod debet. Videor mihi subodorari juvenem hunc a Christo suscitatum, non meliori nota ex hac mundi taberna discessisse. Quis enim nescit filios unicos et maxime, qui amisso patre solam matrem habent supersitem, (quemadmodum hic habuerat) indulgentius communiter educari, voluptatibus vacare et sine fræno vivere; nihil vero minus, quam de reddenda ratione et morte cogitare: atque inde fieri ut plerumque imparati vel moriantur, vel saltem morti appropinquent? Videns igitur ac sciens hoc Christus, adolescentem sine præparatione debita ex hoc mundo discedentem retraxit in hunc mundum, retinere cum volens, donec mori disceret, et meliori nota, solutis prius debitis, e vita emigraret. Itaque: *Resedit qui erat mortuus;* resedit, inquam, ad mensam hospitis ut melius perpenderet, quomodo in posterum moretur. Magna sane gratia. Sed ea quam paucis contingit. Plurimi abeunt ex hac vita graviter

obærat, ideo lictoribus tartareis capiendi, et in gehennam incarcerandi permittuntur, justo Dei judicio. Inter centum millia, non fit uni talis gratia. Quis enim quæso ex omnibus iis quos ad cœmeterium nostrum extulimus, revixit aliquando? Remanserunt omnes: nemo iterum mortuus est. Quando igitur tale miraculum nobis promittere non possumus, ad laborandum nobis est, ut nunc ex hac die incipiamus discere artem moriendi, quando non amplius quam semel mori nobis datur. Artem, inquam, omnium artium, et quæ difficulter discitur, ab omnibus tamen sciri debet: quam si solam didicerimus, omnium artium magistri merito appellari possumus. Audiamus.

I. Memorare novissima tua, mortem, judicium, gehennam. Qui enim ignotum sibi et periculosum iter conficere debet, prius intuetur mappam et inspicit civitates, flumina, silvas, montes, qui transeundi sunt, quærit etiam sedulo ex aliis, qualia sint illa loca, quibus divertit in hospitibus, quomodo se in omnibus gerere debeat, ut secure ad locum destinatum perveniat, eaque omnia sibi in tabella adnotat, atque ita prænoſcit ferme iter suum, antequam aggrediatur, sicque audacter et magno animo arripit, quod alioquin mœstum habiturus esset, in continuo metu et periculo futurus. Similiter cum tibi iter, o Christiane, ignotum, obscurum, periculosum et latronibus infestum conficiendum scias, de hac vita nimirum ad alteram, si absque turbatione, perplexitate et horrore id conficere velis, ingredi illud prius consideratione quam pedibus. Cogita tibi necessario transeundum per mortis et judicii viam, plurimis obsessam animarum prædonibus, ad incertum terminum gloriæ, sive gehennæ: cogita diversurum corpus in angustissimo, obscurissimo et teterrimo sepulcri tuguriolo; animam vero in severissimo Dei prætorio: interroga teipsum quo iudice, quibus testibus, a quibus accusatoribus, de rebus interrogandus et accusandus sis, quomodo respondere velis; num talem habeas causam quam defendere ac tueri possis: cogita te jam stare præ foribus illius divini tribunalis et consistorii, jamque expectare donec voceris et ingredi jubearis, teque interim vehementer trepidare, sicuti reisolent e carcere ad judicii examen et torturam abducendi, qui prius secum accurate cogitant, quid respondere velint. Hoc inquam si feceris, erit jam magna ex parte tibi notum iter tuum, et bene tibi circa omnia pericula providebis, imo secure et alacriter id ingredieris. Propterea prudentes viri ut secure hilariter et bene mori possent, soliti sunt ante mortem suam novissima

considerare. S. Joannes eleemosynarius, episcopus se vivente aperiri sibi sepulcrum et paulatim extrui fecit, volens interim quotidie moneri, sepulcrum id necdum perfectum esse, juberet proinde perfici, ut scribit Leontius, in ejus vita: Carolus V. p. m. imp. diu ante imperium a se abdicatum, sarcophagum sibi construi fecit cum funebri supellectile, et quacumque iter faceret secum deportari, ut sic ante oculos mortem semper haberet; qui etiam dicebat, in usum rei omnium sibi charissimæ id sibi deservire. Refert Justus Lipsius, l. II. monit. c. XIV. qui addit idem fecisse ejus avum Maximilianum I. imp. ut ejus aspectu mortis recordaretur; eo enim viso dicebat: *Maximiliane cogita mori: quid te dilatas et extendis? Quem tot regna non capiunt, locus iste capiet.* Albertus M. abdicato Ratisponensi episcopatu Coloniam rediit ad suæ religionis paupertatem, ubi omnium pene rerum memoriam, (uti olim ei prædictum erat) amisit. Tam obliviosus tamen non fuit, quin quotidie meminisset sepulturæ suæ locum accedere, et ibidem pro se velut mortuo preces fundere, ut scribit Ferd. Castilius, in hist. S. Dominici et ord. Prædicat. p. I. l. III. c. XLVII. Ac propterea Ecclesia mortem et novissima passim conspicienda proponit: ideo cœmeteria ante templa et urbes constituit, ut priusquam illuc ingrediamur, eorumque decorem inspiciamus consideremus prius omnium nostrum finem: ideo in cœmeterii separato loco mortuorum ossa asservari et nobis vult proponi: ideo cineribus capita nostra aspergit, prima die quadragesimæ. Præveniamus ergo mortem, ne ab ea præveniamur, adeamus et visitemus sepulera, comitemur funera, suscipiamus cineres benedictos, atque ita sæpe moriamur cogitatione, ut semel bene mori reipsa valeamus.

II. *Dispone domui tuæ et conde testamentum.* De hoc admonuit Isaias Ezechiam regem, Isa. XXXVIII. Nec video cur Ezechia tantum et non in illo omnibus ad ipsum præcipiat Deus, quando morituri locupletes sunt, uxorem liberos et amicos, multos item debitores vel creditores habent; tenentur enim ad exemplum Christi testamento pacem nobis legantis: (*Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis*) domui suæ pacem itidem relinquere, discordias impedire, seipsos debitis liberare, saluti et famæ suæ consulere, etc. Quod indicavit Isaias IV. Reg. XX. ubi pro verbo *dispone* legitur: *Præcipe domui tuæ.* Quia enim mortem intestati consequuntur ut plurimum multa dissidia et incommoda, quæ moriturus ultima sua voluntate, et præcepto facile inhibere potest, merito jubetur cum adhuc potest domui suæ

præcipere, ut pax et æquitas in ea conservetur. Cæterum ut bene et salubriter quis testetur observare debet. Primo, ut id tempestive et dum mentis bene compos, ac si fieri potest, iam sanus est, faciat; nec expectet donec ab amicis cogatur et morbus nimium invalescat, quia periculum est ne tunc ob defectum iudicii et prudentiæ res suas male disponat: quod exemplo Ezechia prædicti patet, licet enim sanctus rex foret, quando tamen a propheta audivit: *Dispone domui tuæ, quia morieris tu et non vives*, adeo hunc ictum sensit, ut dorsum verteret ipsi prophetae, et nihil de testamento aut dispositione domus suæ cogitaret, sed totum se daret lacrymis et precibus ad sanitatem recuperandam.

Secundo, ut bene et ordinate id ipsum condat, prout indicat vox *dispone*, id est, singula suis locis, ordinate et prudenter; ac primum omnium oportet ut de ære alieno, si quo gravatur, restituendo cogitat, nisi velit propterea in vincula inferni conjici cum servo illo nequam, donec reddat novissimum quadrantem. Deinde, opes suas illis relinquat, ad quæ de jure pertinent, nec habeat respectum ad eos, quos magis diligit, si plus aliis obligatur; ac prius attendat ad ea, quæ sunt præcepti, quam quæ consilii: benefactores suos præferat, non benefactoribus: domesticos externis: in iis vero, quæ ab arbitrio ejus pendent, consulat imprimis gloriæ Dei, deinde, proximorum necessitatibus, adhibito piorum virorum consilio. Præterea si divitiis abundet, quas uti supervacaneas jam olim distribuere pauperibus debuisset, curet nunc erogari, eas enim naturali jure deberi pauperum sustentationi ostendit S. Thomas, II. II. q. LXVI. art. VII. quod si forte non ex justitia iis debeantur, debentur saltem ex charitate: parum autem refert utrum ex defectu justitiæ, an vero charitatis aliquis damnatur. Denique, ne obliviscatur animæ suæ qui alios muneribus affecit, si fieri enim potest facillime, ut non recta ad cœlum tendat. Porro has ipsas eleemosynas, dum in statu gratiæ, faciat, vel saltem ratas habeat, ut meritoria sint.

Tertio, ut quidquid per seipsum exequi testamenti sui potest, ne exequendum aliis demandet. Si enim tu in proprio negotio es ignavus et difficilis, quanto magis erunt alii in rebus, quas reputant alienas? Memini me legisse de patre morituro, qui cum filiis suis multa relinqueret, quæ sibi ex illis, quid pro anima ejus quisque facturum esset. Unus promisit tot missas, alter tot eleemosynas, tertius: *Nihil, inquit, tibi promitto, quia si tu, qui adhuc totam habes hæreditatem, pro tuamet anima nihil modo expendis, ne promittas libi expensuros aliquid pro te filios, qui singuli singulas*

tantum sortientur hæreditatis partes. Quare Tobias, ut pacate mori posset, vocavit filium suum, et de executione singulorum cum eo serio egit, Tob. IV. Similiter et Gerson universitatis Parisiensis cancellarius, qui paulo ante obitum mille pauperes duxit ad summum templum B. Virgini sacrum, omnesque jussit post acceptam a se munificam eleemosynam in genua procidere, atque hac communi voce aliquoties divinam implorare misericordiam: *Miserere Domine Deus Gersonis servi tui.* Refert Balt. Chavass. de perfect. prudent. l. IV. c. II.

Quarto, ut cum honorum tuorum cessione et distributione, deponas etiam affectum erga quas-cumque res creatas, et omnia Deo commendes, de sola tua salute deinceps cogites; ut sic: *Nudus cum nudo* (dæmone) securius luctari possis, quemadmodum ait S. Gregorius, hom. XXXII. in evang. utque instar maturi pomi sponte et libenter de arbore cadas, ne violenter et damno tuo avelli de mundo debeas. Itaque dices cum Davide: *Quid mihi est in cælo et a te quid volui super terram? Defecit caro mea, et cor meum. Deus cordis mei et pars mea, Deus in æternum.* Ita S. Augustinus, qui, ut scribit Possidius, in ejus vita, testamentum quidem non fecit, quia unde faceret, pauper Christi non habebat, animum vero ab omni terrena sollicitudine liberum conservare in ægritudine sua studuit, et decem fere diebus ante suum obitum voluit ne quid ad eum ingrederetur amplius, nisi quando medicus veniret aut refectio afferretur. Quod ipsum præstitit ejus mater S. Monica, quæ alieno licet solo moreretur, noluit tamen de sepultura sua quemquam esse sollicitum, sed tantum ad altare Domini memoriam sui fieri, ut testatur August. ipse in lib. IX. confess. cap. XI. Raro etiam exemplo Ferdinandus Castellæ et Legionis rex instare sibi diem extremum sentiens ad ecclesiam deferri regio ornata voluit, ubi cum Deo et sanctis se commendasset, posito omni regio cultu et potestate, cilicium induit et cinere caput aspersit, atque ita post biduum inter manus episcoporum spiritum Deo reddidit, apud Baron. anno 1065.

III. Muni te contra hostem, et induere armis salutarium sacramentorum, ne quid in te funesti reperiat, teque aliqua in parte vulnerare queat. Hac in re Ecclesia imitatur Saulem, qui dimissurus Davidem ad præliandum contra Goliath, induit eum vestimentis suis, et imposuit galeam æream super caput ejus et vestivit eum lorica, ut dicitur, I. Reg. XVII. Sed quia in his David incedere non potuit, depositis iis, spiritualibus armis se munivit et venit ad Goliath in nomine Domini, id est, in virtute Domini. Ad eundem mo-

dum Ecclesia, antequam ad singulare illud certamen cum diabolo subeundum quis hinc abeat, velut sollicita mater, munit clientem suum contra ictus dæmonis, et primo, induit eum lorice pœnitentiæ, qua poterit omnes ictus dæmonis, et accusationes sustinere, si possit dicere se rite confessum esse et pœnituisse. Sanctissimi etiam viri non contenti pœnitentiæ sacramento, alia etiam severiora pœnitentiæ et humilitatis opera addidere. S. Hieronymus moriturus humi se deponi et sacco, operiri voluit: S. Augustinus obitum suum prævidens psalmos pœnitentiales in cubiculi parietibus describi majusculis sibi voluit, quos dum assidue legeret, lacrymas jugiter et ubertim fundebat, dicebatque, neminem quantumvis perfectum sine pœnitentiâ ex hac vita discedere debere: S. Martinus episcopus in cinere et cilicio cubans mori voluit, neque aliter Christianum mori oportere dicebat: S. Franciscus in pavimentum super nudam humum deponi moriens voluit, apud Marul. lib. V. cap. X. Jam si hæc talia viri tam sancti fecere, quid putatis, nobis faciendum restabit?

Secundo, Ecclesia offert morituro et induit vestimenta Christi, ss. eucharistiæ communionem; atque adeo ipsum quodammodo Christum, ut per ejus merita gratiam coram Deo veniat. Et hæc est vestis nuptialis, quæ a sponso nuptiarum Christo provenire debet: sine qua apparere non licet coram rege illo sponsi patre, Matth. XXII. moriturus paulo post apparebit ante conspectum Dei. *Et quis poterit stare in conspectu Domini Dei sancti hujus?* dicunt Bethsamitæ, I. Reg. VI. et: *Cæli non mundi in conspectu tuo*, inquit Job, c. XV. Quid igitur faciat miser? Sequatur consilium Rebeccæ, Gen. XXVII. quæ ut filio Jacob benedictionem a patre impetraret, induit eum vestibus Esau primogeniti fratris, valde bonis et odoriferis et pellibus circumdedit manus ejus, ut per omnia fratrem primogenitum repræsentaret; eoque modo benedictionem ei impetravit. Quoniam igitur cum meritis nostris præcise coram Deo apparere non possumus, induamus merita Christi, qui est: *Primogenitus multorum fratrum*, quod maxime facimus in ss. communionem; ibi enim christiformes quodammodo efficimur. Christus autem ejusque meritorum odor non potest non placere Deo: sine iis Deo placere ejusque benedictionem impetrare non licebit. Propterea itaque Ecclesia velut altera Rebecca tantum nos urget, ut hoc consilio utamur.

Tertio, offert et imponit morituro extremæ unctionis galeam. Galea postremum est quod militi imponitur, et caput tuetur; extrema etiam unctio ultimum morituro remedium est. Quo-

niam ergo infirmus in eo articulo maxime indiget robore et solatio, ea tunc illi exhibentur per extremam unctionem, in qua, ut S. Jacobus, c. ult. ait: *Alleviabit eum Dominus*, consolando videlicet et roborando contra horrorem mortis et dejectionem animi. Nemo itaque sit, qui hanc galeam ante ultimum illum conflictum non assumat, si robur illud et solatium desiderat in morte; nam tunc moriens relinquitur sibi ipsi: nemo eum juvare potest.

Cæterum ut hæc sacramenta salutaria fiant ægro, ne cogi velit ad suscipienda, sed ultro petat; neque etiam eo rem differat, cum jam in extremis et a sensibus alienus, adeoque ad fructum sacramenti percipiendum inhabilis.

IV. Provide tibi arma etiam offensiva ad pugnandum contra dæmonis insidias et tentationes, quæ in articulo mortis maximæ esse solent. Non potuit ita armatus esse contra Davidem Goliath, quin adhuc magis se armet contra moriturum diabolus: ille omnia ærea et maximi ponderis habuit, casidem, loriam, ocreas, clypeum, hastile; diabolus vero plurimas gravissimas ingerit tentationes, quibus quomodo sigillatim obviandum, alibi videbimus. Nunc Davidis arma nobis sufficiant. Is itaque tulit baculum suum, quem semper habebat in manibus, et elegit sibi quinque limpidissimos lapides de torrente, quos funda in hostem jaceret. Et quis putatis est iste baculus, nisi baculus crucis? Eum certe crucis figuram fuisse scribit S. August. serm. CXCXVII. de temp. Et hunc si quid aliud, summopere timet diabolus, uti canis nimirum baculum, quo semel est percussus: et propterea morientibus crux apponi et dari in manibus solet. Sed permultum refert, quomodo apprehendas crucem; id enim fieri per fiduciam in Christi passionem et merita debet: atque ut eam tunc habeamus, nunc dum sani sumus, nobis familiarem faciamus, et quodammodo semper in manu retineamus, quomodo David baculum suum pastoritium etiam ante pugnam semper in manibus gestabat: alioqui nisi crucem tractare sciamus dæmonem non terrebimus. Hinc fit, ut sæpe ægri crucem vix agnoscant (nedum in ea se consolari sciant) quia in vita non tractarunt. Deinde, ejaculare lapides orationum brevium et jaculatoriarum, cœlestium suspiriorum, invocationis sanctorum, cujusmodi sunt sacratissima illa nomina *Jesus et Maria*; oratio S. Fulgentii episcopi, qui in ægritudine sua frequenter dicebat: *Domine, da mihi hic patientiam; postea indulgentiam*, Baron. anno 329. illa S. Antonii archiepisc. Florentini in ægritudine orantis: *Oculi mei semper ad Dominum, quo-*

niam ipse evellet de laqueo pedes meos, ut in ejus vita, apud Sur. tom. II. et illa Davidis: *Notum fac mihi Domine finem meum, et numerum dierum meorum, ut sciam, quid desit mihi*, ad salutis scilicet meæ negotium agendum. Maximopere vero cuivis commendata velim ea Salvatoris nostri verba, quæ ipse ultimo spiritu extrema et magna voce clamans protulit: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum*, Luc. XXIII. His enim verbis docet in articulo mortis primo maximo nisu et fervore Deum exorandum et animam ei commendandam; quia ibi jacitur vitæ alea, et vertitur cardo totius salutis. Sic cyenus ante mortem omnes spiritus suos colligit in cor et in morte simul expirat, unde suavem cantum efficit. Secundo, non esse tunc sollicitum de corpore et terra, sed solum de anima et cœlo. His adde actus fidei, spei, charitatis, contritionis, patientiæ, qui sunt quinque limpidissimi et aptissimi lapides ad debellandum dæmonem.

V. Adorna lectum tuum floribus virtutum, et para tibi in cœlo nidum, bonis operibus ut cum sponsa dicere possis: *Lectulus noster floridus*. Phœnicem imitare, quæ, ut scribit S. Cyrill. catech. CLXXXVIII. S. Clemens papa, lib. XX. cap. IX. Tertull. de fide resur. c. XIII. et alii, quando præsentit imminere sibi mortem, conficit prius nidum ex fragrantibus lignis, in quorum medio se collocat, aspiciens rectissime solem cum maxime fervet, cujus calore dum alas suas ventilat, ignis accenditur, quo ipsa tota comburitur, et in cineres redigitur; ex quibus deinde vermis prodit qui in novam phœnicem convertitur. Apposita hæc resurrectionis justa figura est; quam si quis desiderat, cum phœnice moriturus congerat sibi odorifera virtutum et honorum operum ligna, seque et sua omnia Deo in holocaustum offerat, bona temporalia per elemosynam vel renuntiationem et oblivionem; corpus per patientiam dolorum, animam per obedientiam et resignationem in manus Dei, dicendo cum Christo: *Ita Pater, quia sic placitum fuit ante te*; atque inter hæc Deum perpetuo contempletur, et ad ejus solius gloriam attendat; nullam vanam intentionem admisceat; alas etiam piorum desideriorum quatiat, et cum apostolo dissolvi, et esse cum Christo cupiat. Sic in ipso accenditur ignis divini amoris, et ex holocausto isto prodibit vermis animæ beatæ, quæ in resurrectione novissima iterum inducet pennas suas, et in novam phœnicem mutabitur. Prævidens hoc S. Job, c. XXIX. dixit: *In nidulo meo moriar, et sicut palma multiplicabo dies*: alia versio habet: *Et sicut phœnix multiplicabo dies*. Cæterum noli tui nidi constructionem in horam mortis prorsus

rejecere, ne forte tempus extruendi non habeas, quemadmodum fatuæ illæ virgines non habuerunt spatium ad lampades suas oleo exornandas. Prudentes imitare, quæ in tempore surgentes ornaverunt lampades suas, et cum sponso intraverunt ad nuptias.

CONCIO VI.

AN ET QUA RATIONE MORTUI LUGENDI SUNT.

I. Lugendi sunt mortui: 1. Ut testemur nos esse homines. 2. Ut testemur amorem nostrum. 3. Ut ploremus damnum Ecclesiæ. 4. Ut desleamus peccata nostra. 5. Ut componamus nos ad pœnitentiam. — II. Non sunt lugendi mortui: 1. Quia mors a Deo est. 2. Quia mori necesse. 3. Quia mors charorum sæpe utilis. 4. Quia tristitia illa inutilis. 5. Quia mors Christianorum somnus. — III. Lugendi sunt moderate et christiane seu discrete: 1. Non more gentilium. 2. Non more Judæorum. 3. Non more crocodili. Non more puerorum, et non more feminarum.

THEMA.

Noli flere. Luc. VII.

Merito quis dubitare possit, quo animo mors charorum ferenda sit, æquone an iniquo, hilari an tristi. Pro utraque enim parte auctores sunt et argumenta, ut non fit obvium unicuique discernere quid sentiendum sit. Atque ut a gentilibus incipiamus, Solon mortem suam lugeri jussit: contra Ennius vetuit, vir uterque sapiens, Romam, cum luctu novendiali et præficarum planctu suos efferebant: alii uti Massilienses olim sine lamentatione suos sepeliebant: Troglodytæ mortuorum cervices pedibus alligabant, sicque cum risu et jocis eos efferebant, Ravis. textor. in officina de vario inhumandi ritu. Deinde, nostri legislatores non videntur hac in re omnino convenire, Ecclesiasticus enim ait, c. XXXVIII. *Fili, in mortuum produc lacrymas, et quasi dira passus incipe plorare*. Vetat contra apostol. I. Thess. IV. dicens: *Non contristemini de dormientibus*. Quid multis? Ipse Dominus noster super mortuum ploravit Lazarum, Joan. XI. et tamen in hodierno evangelio matri filium plangenti ait: *Noli flere*. Quid igitur?

I. Dico lugendos esse mortuos, vel certe posse lugeri. Nam imprimis Joseph planxit patrem suum Jacob, Gen. L. Israelitæ Moysen, Deut. ult. et Josuen, c. ult. David Saullem et Jonatham, II. Reg. I. viri timorati S. Stephanum, Act. VIII. Martha et Magdalena, imo et Christus ipse Lazarum, Joan. XI. neque in hodierno evangelio improbat Dominus fletum viduæ, sed eam consolari

intendit, quod filium mox receptura sit. Lugendi autem sunt primo, ut testemur, esse nos homines utentes ratione, quæ sola apprehendit, quid sit mors: testemur, inquam, non esse nos insanos aut belluinos, quamquam et animalia quædam luctum edere videntur, cum a suis comparibus separantur. Etenim S. Basilius, in orat. de morte, quæ habetur inter opera S. Ephrem scribit: *Vidi ipsa aliquando bovem ad præsepe lacrymantem cum contubernalis ipsius morte ereptus esset*: et S. Ephrem, serm. in eos, qui in Christo obdormierunt, ait: « Lacrymas effundamus; quoniam et animalia super aliorum ejusdem secus generis separatione lacrymantur. Lugeamus quoniam et boves suos compares requirentes mugiunt, quoniam et hirundines abreptis sibi pullis clamitant, quoniam et agni nuper nati a fratribus separari vociferantur. » Sic ille.

Secundo, ut testemur amorem nostrum eumque sincerum erga defunctos. Sic ploravit Christus Lazarum amicum suum defunctum. Ideo Judæi dicebant: *Ecce quomodo amat eum?* Joan. XI. Unde qui penitus non dolent mortem amicorum, vulgo existimantur non amasse illos. Solent enim assentatores et ficti amici præ se ferre amorem erga viventes: quos tamen mortuos minime plangunt. Alii clam gaudent de morte propinquorum, vel quia ipsis defuncti inimici aut molesti erant in vita, vel quia hæreditatem aliquam sibi reliquerunt. Perversum foret istud gaudium. Unde Crassus Romanus exprobravit Domitio, quod sine luctu tres uxores sepelisset, apud Elian. I. VIII. hist. c. IV. Quare, ut testemur, non lætari nos de morte propinquorum ob has vel similes causas, recte et merito luctu publico testamur amorem nostrum. Ita magna sua laude flevit David multis lacrymis mortem Saulis domini sui licet sibi infensi ne quis existimaret eam sibi attulisse gaudium.

Tertio, ut deploremus damnum Ecclesiæ, cui fidus aliquis minister et operarius utileque membrum est subtractum. Sic Christiani plangunt mortem S. Stephani; S. Ambrosius mortem fratris, uti et S. Bernardus: sic Hebræi fleverunt Moysen, Josuen, Judam Macchabæum. Si enim resecato uno membro corporis dolent membra reliqua cur non idem facient membra Ecclesiæ?

Quarto, ut deploremus peccata nostra, quæ fortasse causa fuerunt, ut Deus a nobis offensus tolleret bonos et dilectos nostros. Sæpissime enim contigit ut per mortem nobis tollantur parentes, liberi, benefactores alique dilecti et utiles, in pœnam peccatorum nostrorum. Merito